

ERNESTI CHRIST. WESTPHAL

I. V. ET PHILOSOPHIAE DOCTORIS

PROGRAMMA

QVO
CANDIDATO PRAENOBILISSIMO

DOMINO

NICOLAO IOSEPHO
GVNTHERO,

DISSERTATIONIS:

DE CONSORTIBVS & ADVTORIBVS

CRIMINVM EORVMQUE POENA ET NOXA

SECUNDVM LEGES GERM. CRIMINALES

GENERA TIM

DEFENSORI

GRATVLATVR

SIMVLQUE

AESTVMATISSIMOS CVIVSVIS ORDINIS

FRIDERICIANAE COMMILTONES

AD EXERCITIVM DISPVATORIVM INVITAT

PRAEMISSA TRACTATIONE:

DE DVPLICI ACTIONE RESTITVTORIA

OMNIBVS FERE IN INTEGRVM RESTITV-

TIONIBVS PRAETORII COMMVN.

HALAE MAGDEBVRGICAE M DCC LX.

47

48.

1760

5a.

ERNESTI CHRIST. USTETINI

LENT. THEOSOPHIAE. LOGICAE.

PROGRAMMA

o o

CALCIDIA & LUMINOSITAS

DOMINO

NICOLA JOSEPHO

CATHERO

PERENNIAE

DE CONSORTIIS & ADIVATORIIS

CRIMINIS & PUNICIONIS. TONI & NOX

ELCANDIA & PEGASUS CRIMINARIS

GENNERATIM

DEBENSORI

GENNERATIM

IMULGAE

TESTAMTISIMO. CAVASIS ORDINIS

INDUCIANE COMMUNIONES

AD EXCESSIONE. DIPUTATIONE. INITIAT

LAUZIA. TRACTATIONE.

DE DAPLIC ACTIOINE RESTITUTORIA

OMNIBUS MIGRI INTEGRUM REGISTRA

TIONIBAS PRACTICIS COMMUNI

HALAE MAGDEBVRGICAE. M. DCC. LX.



§. 1.

uid indiffusissima Iuris scientiae amplitudine doctrinæ quædam compendia circumspiciunt, quorum lumine plura simul argumenta collustrari, eaque tamquam fasciculo quodam comprehensa in memoriae custodiam deponi possint: ii sane similes sunt his, qui vastam regionem emensuris colles quosdam commonstrant, unde spatiofissimæ eius partes radio ac regulæ præsto sint. Nolo in horum canatuum, qui ista ad compendia tendunt, laudibus ulteriori provehi, ne circum foraneorum more instituti mei inflata buccaineptum agere videar præconium. Sufficiet dixisse, me iam, vbi scribere aliquid constitui, ad eius, de qua dictum est, indolis, argumentum animum adiunxisse. E triuis forsan hausta credent nonnulli ea, quæ hic tradere decreuimus, vbi inscriptionem opusculi inspicient, cum tritissima sit restitutionum materia. Verum audiant nos prius caussam orantes, tumque vel absolvant, vel condemnent, vel sibi non liquere pronuntient.

§. 2. Qui duplicis actionis ex restitutionibus in integrum voces audiunt, hi varias instituti nostri capient coniecturas. Quidem nos de notissimo illo duplici medio *rescindente* nimirum & *rescissorio* agere putabunt. Verum nihil nobis cum hac distinctione iam negotii est, quam probe expediuuit *Illust. Cocceii* in *Iure Controv. Lib. IV. tit. 2. Qu. 3.* Alii nobis illam distinctionem in mente esse credent, qua quædam actiones ex restitutionibus oriundæ dicuntur *in rem*, quædam *in personam*, cui lo. IVST. RAABE differuit *de duplice actione Paulliana*, Marp. 1753. Sed ista distinctio nec no-

A 2

bis

bis probatur, nec adeo integrum restitutionum doctrinam illustraret. Vnde & hanc prætervehimus. Commonstratur potius sumus non nisi duo fundamenta esse, ex quibus quæcunque fere restitutione a iudice peti, & quibus exstantibus absque scrupulo restitutione & exigi & concedi queat. Quæ si vera sunt, filum habebimus, quo duce omnis restitutionum campus omni superata difficultate, peragrari poterit.

§. 3. Quid sit restitutio, & quæ sint eius diuisiones, an dentur etiam ciuiles & quæ sunt huius generis alia, iam transmittimus, ut ab instituto nostro remota; dicturi tantum de restitutionibus prætoriis & iis quidem vnde agitur aduersus quemquam in casu detrimenti cuiusdam, quod patimur. Remouemus ergo eas, quæ ad iudicem tantum diriguntur; quæ breui manu fiunt; vbi neglegentium quorumdam in lite iudiciali a iudice venia impetratur. Sicut omnium restitutionum prætoriarum fundamentum est æquitas. Hoc inter Iureconsultos omnes transactum est, & ipse profitetur MARCELLUS l. 7. D. de restit. in integr. verbis: *ut ratio & æquitas postulabit.* Sed quidnam æquum est Prætori, vt sciri queat inueniendæ restitutionis ratio? Dicam. Duæ sunt æquitatis partes vnde hæc regulæ:

- 1.) *Quoties addicentibus Legibus ciuilibus alter ex alterius damno proficeret, qui nulla sua culpa istam legum duritiem meruit: toties læsum ab altero, lucrum, quod habet, repetendo, commodis suis restituitur.*
- 2.) *Quoties alter dolo suo ac fraude, vel interdum quoque culpa, alteri innocentii detrimentum legibus ciuilibus adiicentibus impune adferret: toties fraudulentam, vel interdum culpa effectam, laesionem reparando, læsum restituit Prætor.*

Vtraque regula applicando optime probabitur. Iam id tantum probationis loco monendum, istas regulas omnibus prætoriis actionibus communes esse, superstructas illis præcipue esse conditiones omnes & in factum actiones. At quoties restitutionis petitio actio in factum dicitur? v. l. 28. in fin. de dolo malo vbi CAIVS: *Sed utique in heredem perpetuo dabitur: quia non debet lucrari*

ex

ex alieno damno & in fine; perpetuo danda sit in factum actio.
 De fraude vel culpa infra magis disputabitur. Id modo subiiciendum, solere hoc loco semper monere Doctores excitatis expressissimis legibus, deficiente demum actione ciuili, remedio Prætorio locum esse, quod maxime in restituzione ex capite doli vrgent. vid HVBER *Prælect. ad D. Tit. de dol. malo.* Verum tam multæ sibi inuicem contrariaæ leges hic tenebris rem involuunt, ut difficile sit commonere istud dissidium. Nobis ita videtur. Regulæ contexendaæ haec: 1) exstante alio remedio ordinario æque utili et cognito, non procedendum ad extraordinarium. 2) exstante remedio ordinario vel extraordinario, famam non gravante, non properandum ad extraordinarium quod famæ officit, modo reus dignus sit, cui parcatur. Vnde statim eligi potest iudicium extraordinarium.

- a) Si iuste ignoretur, quodnam medium competat?
- b) Si extraordinarium sit optimius, quare actione doli eligi potest præ actione ex stipulatu, præscriptis verbis, conditione indebiti, eamdem ob causam actione de metu eligi poterat intra quadriennium præ querela nullitatis, post quadriennium secus. vid. *Egregius Vir BOEHMERVS Tr. de action. Sed. II. c. u. § 43. not.*
- c) Si ordinaria quidem suppetant iudicia, sed æque famosa, statim ad extraordinarium famosum transitus pateret; indignus enim reus aduersus quem iuris subtilitates applicentur.
- d) Qui metum intulit potest pro lubitu actoris vel de metu, vel de dolo conueniri. Eadem est ratio. Aduersari sibi videntur *I. 7. §. 9. de dolo malo*, collata cum lege 25. §. I. 20. §. 1. eod. Sed præclare rem extricat *CUIACIUS Comment. ad h. t.* dum distinguit, an aduersarius secum ex integro agi patiatur, an non, quo in primo casu actione doli cessat, secundo fecus. Idem egregie citato loco ostendit, minime pugnare *I. 9. §. 4. b. cum I. §. 4. §. ult. ff. de re indicat.* §. I. 69. de solut.
- §. 4. Remedium restitutorum ex priori regula profectum, datur aduersus quemuis possessorem, qui cum dispensio alterius patrimonium auxit, etiam si optime sit fidei. Datur præterea ista actione

actio ordinario per xxx. annos. Etiam hoc singula restitutionum species doccebunt. Nec potest aliter contingere. Si enim ratio agendi est lucrum alterius, sequitur, ut vbiunque illud deprehenditur, ibi locum habeat actio. Hinc vero non concludendum actionem istam esse realem. Realis enim est, non quæ aduersus quemvis possessorem dirigi potest, sed quæ ex iure reali, seu in re oritur, non obligatione seu iure cum persona coniuncto, & vel ex aequitate, vel ex pacto, vel ex maleficio enata, §. 1. *Instit. de Action.* Vnde non probanda actionis Pauliana in rem seu realis denominatio. Hæc enim ut infra patebit, est vera actio restitutoria. Si hoc, est ex aequitate, non ex iure reali, hinc numquam in rem actio quicquid forsitan loco quodam Iustiniano, imprudenti exciderit. Aliud quippe est, erga quemvis possessorem actionem intendere ob ius rei, quam ille possidet inherens, sive quasi non cum possessore, sed re negotium habere, & hanc vbique perseguiri, aliud vero nunc hunc nunc illum actione pulsare, nunc in hoc, nunc in illo aequitatis ratio est. Actiones autem personales, quorundam & illarum, quæ ex aequitate proueniunt, triginta annos durant, per notissima iuris principia. In legibus hæc actio dicitur post annum dari. Si quis velit eam in rem scriptam dicere, nobis libentibus id faciet, modo sciat, non solam actionem quod metus causa id nominis mereri, sed & ex aliis restitutionis clausulis similia ori, iudicia.

§. 5. *Actio quam secunda regula parit non datur, nisi contra eum, qui in dolo fuit, vel interdum in culpa, dum rem acquirret, sed tantum per breve tempus quadriennium vel biennium.* Datur igitur hæc quoque contra quemvis possessorem, sed tum modo, si dolus culpam sustinuit, etiam si lucro omni careat, etiam si nihil nunc possideat, modo possederit olim. Qualitas hic eadem ratio, quæ §. p. precedente. Terminum quadriennii praestituit IUSTINIANVS l. vlt. Cod. de tempor in integr. restit. Breuiores sunt actio de dolo & de alienat, iud. mutand. causs. fact. ut vulgatissimum est. Haud raro poenam aliquam contumaciam habebat adiectam. Eam ob causam vtile quoque erat priorem actionem de qua §. p. diximus intra tempus idem intendere, quod praestitum erat huic secunda, quoniam tunc ista inobedientis poena lucro cedebat auctoris. Nam & priorem actionem hoc poenam lucrum continuisse vid, apud VLPIANVM l. 15. ff. quod met. causs.

§. 6. *Si quis ob fraudem et dolum rei restituende ex aequitate Praetoria necessitatem susinet, & auctor pretium quoddam pro ea. accepit, aut, si minoremmitatis ergo restitutio facienda, auctor adiuc in lucro quodam est pro re tributo, lucrum illud reo pro redditione rei retribuendum est.* Si vero aduersus bona fidei possessorem agatur, is non restituit, nisi redditio sibi prius pretio, quod dedit. Sic in Pauliana distin-

distingimus, sic in restitutionibus minorum, sic disputat in restitutione ex capite metus GvBER in *Prelect.* ad ff. tit. quod met. causs. §. 4. in eo censoria dignus, quod malæ fidei reo nihil omnino pretii restitu velle videatur, licet in bonis habeat actor lucrum ex re restituenda; bona fidei vero possessori premium quidem aliquod reddi vult, ast non id, quod dedit, sed quod inter id quod reus dedit, & quod actor accepit, est minimum. Portentosa sane decisio. Rationes ita subducendæ. Prator vult resarcire damna, quorum causa est nequitia alterius; hoc æquum est. Non vult me ob eius malitiam opulentiorē fieri. Hoc nimis a Legibus ci-vilibus recederet. Ergo, si quod lucrum intus habeo, reddendum etiam nebuloni antequam rem restituat. Est veluti malæ fidei possessor, titulo instructus, cui per iuris præcepta decerpere, aut saltim tollere licet ea, quorum visitatatem vindicator cum dispendio restitutoris conqueretur. Tantum tribuit restitutio, quantum abstulit laesio. Probus vero & innocens possessor eo tantummodo ad restituendum teneatur, ne cum damno aliorum opulentior sit. At, si. quod pro re dedit, non recuperet, non tantum opulentior non esset, verum etiam insigniter læzaderetur, nullam aliam ob caussam, quam ut alii qui nulla re ipso melior, nisi quod æque Iesus, Iafione careret. Quod sane foret eximum æquitatis specimen,

§. 7. Hinc intelligi quoque poterit, nullam actionem restitutoriam dari aduersus heredes cuiusquam ut tales, sed tantum, si quid ad eos peruenit. L. u. ff. que in fraud. cred. Nam si nihil ad eos peruenit; nec potest contra eos agi, ne cum damno aliorum opes colligant, nudi enim sunt eiusmodi opibus; nec ex fraudulentia possessione defuncti conueniri poterunt, fraus enim persona inhærebat iure Romano & in heredem non transmiscebatur. Iure Canonico & vsu hodierno secus est, ubi adeo ex crimine defundi ad rei persecutionem haud fecus agitur aduersus heredem, quam si ex contra-etu deberetur, quantum sufficiunt vires hereditatis.

§. 8. Si obligatio remissa aut alienata, vel actio in rem: idem tenendum quod de rebus alienatis dictum est. Nam in aliis etiam actiones in rem, paria cum ipsis rebus iura habent. L. 15. ff. de R. I. & obligationes in hac caussa præcipue comparantur rebus. V. VLPIANVS l. 10, §. 22. Que in fraud. credit. Generaliter sciendum est, ex hac actione restitutionem fieri oportere in pristinum statum: sine res fuerunt sine obligationes. Itaque si remissa est actio; semper restituitur, quia debitor cum aliorum damno diresceret; si alienata; videndum an ii, ad quos transit, in fraude sint, an in lucro, in vitroque casu per iudicem compellandi sunt, vt supra.

§. 9. Si itaque nemo adfit, qui aut lucrum habeat, aut prauitatem exercuerit, cessat

cessat restitutio. Cessat enim æquitas rescindendi negotia stricto iure valida. Vnde tam sæpe in legibus dicitur, aduersus tertium b. f. posse forem hic non agi, si res non amplius exstet. i. e. si in bona fide sit, simul que a lucro & commodo alienissimus.

§. 10. Ius patrium in hac doctrina tradunt IO, SCHILTER in *Praxi Jur. Rom.* b. t. & ex eo NIC HIERON. GUNDLING in *Comp. Digest.* b. t. nec non CHRIST. THOMASIVS in *Not. ad Pand.* b. t. IO. FRID. WAHL *Diss. de usu Restit. in integr. Praetor.* in *Iudic. Germ.* Res eo credit. Nostrates ignorarunt. restitutions. Quæ earum in legibus patriis occurrunt vestigia, ex iure peregrino videntur decerpta. Hodie in aliquibus casibus, vbi Romanis restitutione succurrentum erat, ea postulamus supersedere. In reliquis applicamus Praetorii Edicti benignitatem.

§. 11. Actio Pauliana, cuiusnam sit indolis actio, disceptant. Quidam in rem esse, tamquam pro aris & focis propugnant. Alii contra in personam esse, magna contentione sustinent. At hi iterum in duas diuisi sunt factiones: alii ex maleficio deriuant, alii ex æquitate. Quidam herciscundi, non vnam, sed duplificem esse actionem Paulianam docent, alteram realem, alteram ex maleficio in personam. Hæc omnia reicienda. Actio Pauliana est restitutoria. Per eam fieri restitutionem in integrum diserte tradit VLPIANVS l. 10. §. 22. Quæ in fraud. Credit. §. 8. excusat. Ea quoque est ratio cur Imperator §. 6. I. de Action. eam rescissoriz, quæ indubie restitutoria est, continuo subiungit. Eamdem ob causam durat per annum viilem, seu hodie, quadriennium continuum, ut reliqua restitutions. Si hoc est: non disceptandum amplius, cuinam fundamento superstructa sit. Scilicet non oritur ex dicto aliquo dominio, quo non opus est: non ex maleficio, quod sæpe non cadit in reum hac actione pulsatum: sed ex æquitate illa Praetoria, quæ omnibus restitutioibus communis est, & prohibet, ne quis cum alterius damno aut lucrum, aut fraudis impunitarem habeat. Datur creditoribus chirographariis post missionem quidem in bona debitoris obærati non tamen ob alienationes post missionem impletatam factas, harum enim causa opimus pignus Praetorium est. Probat hoc contra secus censentes SCHILTER l. c. Exercit. 46. ib. 51. Vid. HUBER Praetor. ad Pand. b. t. Debitor etiam si animam debeat tamen iure ciuili rerum suarum dominium continuat. Vnde validæ sunt omnes e patrimonio factæ alienationes. Sed iniquum est, vt creditores, ad quos iam potiori iure bona debitoris pertinent, quam ad debitorem ipsum, quippe cuius facultates non intelliguntur, nisi deducto ære alieno, suo iure fraudentur, aliisque, his circumventis, rem faciant, aut eis fraude obiecta illudant. Inde restituuntur creditores in integrum,

§. 12.

§. 12. *Actione Pauliana duplex est. Altera datur contra eum, qui locupletior est, altera contra dolosum, etiam si utilitate careat. Prior est perpetua, posterior ad annum viilem, seu hodie quadriennium, adstricta.* Si debitori obligatio remissa est ab obaerato, tamquam creditore: non liberatur debitor, sed Pauliana agunt creditores debitoris obaerati, ac si remissio facta plane non esset L. 10. §. 22. ff. b. t. Si res alienata, & quis lucrum percepit ex fraude debitoris, datur contra hunc, quisquis sit, actio, post annum, sicque per triginta annos ut lucrum ei extorqueatur. VLPIANVS l. c. §. 24. *Hec actio post annum de eo, quod ad eum peruenit, aduersus quem actio mouetur competit. Iniquum enim Prator putauit, in lucro morari eum, qui lucrum sensit, ex fraude; (scil. debitoris) Id circa lucrum ei extorquendum putauit. Sive igitur ipse fraudator sit, ad quem peruenit, sive alius qui uis: competit actio in id, quod ad eum peruenit, dolose male eius factum est, quominus peruenire. Inde si donata cuiquam res sit a debitore, hic ad eam reddendam absque omni circuitu compellitur. Is vero qui in lucro non est, attamen malignus; qui emit rem iusto pretio; qui etiam iterum vendidit, & pecuniam inde redactam forsitan profudit, tenetur vel rem ipsam reddere, vel, si deest, solidum, quod habuit, eius pretium L. 9. eod. Sed hæc actio per annum viilem tantum procedit. Ait PRAETOR l. 1. f. b. t. Que fraudacionis causa gesta erunt cum eo, qui fraudem non ignorauit, de his intra annum quo experiundi potestas fuerit, actionem dabo. Tempus computatur a die factæ alienationis L. 10. §. 18. b. Si pretium pro re accepit debitor: male fidei reo id redditur, quanto patrimonium obserati inde abduc autium est L. 7. 8. b. Cum vero per l. 6. §. 11. in his, qui ignorantibus ab eo, qui soluendo non sit, liberalitatem acceperunt, hac tenus actio danda sit, quatenus locupletiores facti: ultra non; pater, bis, antequam restituant pretium, quod dedere, esse reddendum. In quo utrumque fundamentum deficit, is nulla actione pulsandus L. 9. eod. Is, qui a debitore, cuius bona possessa sunt, sciens rem emit, iterum alii bona fide ementi vendidit; questum est: an secundus emtor conveniri posse. Sed ve- rior est Sabini sententia, bona fide emtorem teneri ---- quemadmodum diximus non teneri eum; si ab ipso debitore ignorans emerit. Reete igitur obseruat ZASIUS ad §. 6. Inst. de Actione. eum, cui donata est res, si eam perdidit, non teneri. Eamdem ob rem non agitur aduersus creditorem, qui sibi vigilavit, i. e. qui ante motum concursum nomen exigit, quod planissime traditur l. 10. §. 16. l. 24. eod. vt non audiendi sint, qui cum STRU- VIO in Exerc. ad Pand. Exerc. 44. ib. 81. distinguunt, an creditores æqua- lis conditionis concurrent, an non, et ibi regulam admittunt, hic securus. Quod enim traditur l. 18. §. vlt. l. 19. ff. de Iur. Fisci et l. 5. Cod. de privil. fisci, fisco peculiare est, ad alios Creditores non trahendum, Pone mal- fidei*

fidei emtorem rem alii bona fide accipienti donasse; hic conuenietur Pauliana. Pone, bona fide dona ab obzrato accipientem, his iterum in alios liberalitatem exercere, et sic largitatem istam ad tertium, quartum, decimum, procedere; vltimus possessor semper iudicio restitutorio conueniri poterit. Pone, bona fide ementem, alii donare, an hic tenebitur? neutiquam: caussam enim habet ab eo, qui nulla actione tenetur, non potest ergo esse deterior. Facile intelligitur non posse dari hanc actionem aduersus hæredem nisi quatenus ad eum peruenit. Hodie tamen malæ fidei possessoris hæredes sine discrimine adstringentur, vid. supra.

§. 13. Si metus caussa fit restitutio eadem sunt principia. Deriuat hanc GUNDLING in Comp. ff. b. t. §. 10. a Prætore L. OCTAVIO qui A.V. C. 678. tribunali infedit. Si res vi a quoquam expressa adhuc exstet apud quemquam, sicque is in lucro sit, semper tenebitur l. 14. §. ... §. 3. b. Sufficit enim hoc docere ... ex hac re cum, qui conuenit, et si criminis caret, lucrum tamen sensisse; isque restituet fructus eo tantum modo, quantum ex iis adhuc locupletior est factus l. 12. pr. b. vide quoque l. 18. eodem. Datur hic actio post annum i. e. per triginta annos l. 14. §. 1. L. 21. §. 1. b. L. 4. in fine Cod. eod. Neminem mordeant verba l. 21. §. 1. nullo tempore, hæc enim spectant tempus antiquum. Fraudator si nulla re ditor sit, tenebitur intra annum utilem s. quadriennium. Etenim l. 14. §. 3. b. In hac, inquit, actione non queritur, ... sufficit enim hoc docere [v. supra] Hæc actio autem est illa, qua post annum intenditur, vt ex pr. huius legis appareat. Unde in ea, qua intra annum tantum competit, omnino queritur, virum is, qui conuenit, as alias meum fecit, i. e. ea, qua ad quadriennium adstricta, est hæc, qua contra malæ fidei possessorum instituitur, et vice versa. Eaque datur, etiam si res non exstet, et fructus etiam percipiendos exigit l. 12. pr. b. Aduersus hæredes agitur, quatenus ad eos peruenit l. 16. §. 2. l. 19. b. de redditione pretii ab actore percepti supra §. 6. iam disputauimus. Nulla hic ratio recedendi a principiis, quorum in præcedentibus fundamenta iecimus. Nil iuuat HUBERUM l. 3. Cod. b. vbi; non redditio pretio; non loquitur enim de vi compulsiva, quam requirit restitutio, sed ablutiua.

§. 14. Hodie hac restitutio non egemus. Inuenta fuit stricti juris negotiorum seu caussarum formuliarum in gratiam quibus etiam solidis in Digestis applicata reperitur. Licer postea in Codice ad negotia etiam iuris gentium translata sit. Egregius BOEHMER Tr. de Action. Sect. II. cap. ii. §. 42. 43. sicque hodie, quantum utilior est actio restitutoria Rei Vindicatione, usum habere posse videatur: tamen vere non magna eius erit utilitas. Non amplius datur in quadruplum cum non usum adiunctum

num pœnatum in Germania docuerit THOMASIVS; Sæpe possessori pretium restituendum, quod in Vindicatione cessat. Ad commodiorem, quam præ Vindicatione hæc actio haber probationem non opus est hac via. Suppetit pinguis remedium, spoli scilicet, quod Praxis architecata est; quod largitur aduersus quemuis, etiam bona fidei possessorem; quod nullam aliam nisi spoliationis probationem requirit; quod perpetuum est. V. ZIEGLER ad Can. Redintegranda, et melior Perillus. BOEHMERUS in *Iure ecclesiast. Proct. Lib. 2. tit. 13.* Unicus remanet casus, ubi applicanda Prætoria actio, quem habet BOEHMER, Tr. de Action. l. c. \$ 43. n. u.

§. 15. A ctio de dolo malo, cuius formula ad C. Aquill. Gallum Prætorem, originem referit, ut præclare commonstrat Noodt. de Forma Emend. Dol. mal. c. 5. in termino, quo exspirat, reliquarum consuetudinem deserit, nec ceterum ad regulam subacta. Singularia autem inde sunt, quod hæc actio famæ molesta est. Distinguendum scilicet etiam in hac duplex iudicium. Alterum persequitur rem aliorum patrimonio immixtam eiusque in eo solo cardo versatur, ne hi pretium habeant, alii immo erexitibus interversum. Hæc actio perpetua est s. tricennaria. An vero datur contra quemuis possessorem? Vereor, ne ipsis dupondiis ruderor videatur, qui hanc questionem adfirmet. Omnes enim negant. Nonnullum est, causam dolii non facere vitium reale v. LUDOVICI Diff. de vitio reali et personali. Quis vñquam actionem in factum de dolo, dixit in rem scriptam? At vero non desunt tamen, quæ incautiorem possent distrahere. Datur hæc actio aduersus hæredes, quatenus ad eos peruenit, i. e. quatenus eare locupletior ad eos hereditas venerit, ut ait CAIUS l. 26. b. t. dolue malo eorum factum fuerit, quominus peruenierit, quod addit PAULLUS l. 27. Illustrat hæc magis CAIUS l. 28. In hæredem, inquiens, perpetuo dabitur: quia non debet lucrari ex alieno domino. Cui conueniens est, vt et in ipso, qui dolo commiserit in id, quod locupletior esset perpetuo danda sit in factum actio. Iam si actio in factum contra hæredes datur, ob id solum, quoniam locupletiores sunt, et quoniam non debent lucrari ex alieno domino, non vero, quatenus hæredes sunt: concludi poterit, quemuis etiam non hæredem, attamen dolo alterius locupletiorem, & que teneri. Si obiicis, diversas esse hæredum et successorum singularium rationes; respondebitur: ergo actio in factum datur in hæredem, vt tales. Hoc tu negas ac pernegas. Concedendum ergo erit, omnes, qui ex dolo aliorum proficerunt, teneri. Ulta vrgetur, causa ex l. 17. b. t. vbi VLPIANUS ita: Hæc actio 1) in hæredem et 2) in successorem datur dumtaxat eo quod ad eos peruenit. Quis nescit successores, quoties hæredibus ad latus vel frontem ponuntur, et

generatim, significare eos, qui titulo singulari adquirunt? Addo L. 15. b.
 Item, si quid ex dolo procuratoris ad dominum pervenit, datur in dominum de
 dolo actio in quantum ad eum pervenit. Hic tertius non est hæres. Obiicis:
 at Procurator sustinet personam mandantis, vnde hic non est tertius,
 Respondebitur 1) numquam sustinet, si decipit procurator cum fraudes
 ei non sunt commissæ. 2) Mandator hic non convenitur, quia mandator
 est, sed in quantum ad eum pervenit. Obstare videtur l. 10. Cod. de re-
 scind. vendit. vbi venditori decepto denegatur adversus tertium vindicatio.
 Iam, cum restitutio id tantum tribuit in stricti iuris negotiis,
 quod in causis bona fidei aquitas legum agnoscit: quis dabit doli actionem
 in tertium possessorem, qui compendium habet. Sed hanc legem
 COCCET in Iure Controv. h. t. Quasi. 4. Resp. ad Obiect. 3. de dolo inciden-
 te explicat. Vide, quid regeras. Sed regeri potest facilissimo negotio.
 Potissimum praesidium est in cit. leg. 10. Cod. Apertissime ibi actio contra
 tertium possessorem etiam in negotiis haud formulariis excluditur.
 Quod de dolo incidente intersit ritur in legibus Romanis ignoratur. V.
 Noodt l. c. cap. 7. seq. Non negamus hanc inter dolum incidentem et
 causam dantem distinctionem rationi esse consentaneam. Nec nega-
 mus, eam tamquam longa consuetudine in foro Germania introductam
 ibi debere defendi. Sed inde nondum probatum est, eam et iuri Romano
 cognitam esse, nisi forsitan persuasus sis, nil esse æquum, sanum, laudabile,
 quod sapientissimos Romanos fugerit. Non poteris ergo Legem Ro-
 manam explicare ex distinctione quadam, post tot secula demum in
 germanico solo enata. Si actio in factum adversus hæredes datur, non
 vt hæredes, sed vt locupletiores, non sequitur tamen, eam dari adversus
 quemvis, qui in lucro sit. Datur enim non vt in hæredes, sed vt in
 hæredes locupletiores, ergo hæredi qualitas hic tamen quodammodo
 in rationem venit. Eadem responsio est ad l. 15. b. Successor vero in
 l. 17. b. opponitur quidem hæredi, sed non vt successor singularis, sed
 vt hæres prætorius, qui non facile hæres Romanis dicebatur. Transeo
 ad alteram actionem, qua ob dolum intenditur. An hæc dabitur con-
 tra quemvis qui circumscriptio gñarus rem tamen acquisivit, an con-
 tra deceptorem tantum? Prioris nullum vestigium in Legibus, vnde
 posterius communis consensu receptum. Quod de redditione pretii
 supra tradidimus hic repetendum.

s. 16. Hodie cum omnia negotia bona fidei sint, restitutio ex capite
 doli cessat. Vnde actio, cuius alienatio dolo impetrata est adhuc con-
 tinuatur, ac si nil actum esset. Rerum alienatio in se irrita est, licet
 dominium vere transeat, Quod potissimum probat c. l. C. 10. de rescid.
 vendit.

(13)

vendit. non labefactatum argumentis COCCETI cit. loc. Adversus hz. redes agimus, vt tales. Ipse fraudator nulla temporis præscriptione, ne triginta annorum quidem a redditione liberatur. Est enim in perpetua mala fide, quæ omnem elidit præscriptionem iure Canonico. Licet hoc tantum de rerum præscriptione verum sit, hic vero directo nil prescribatur, nisi actio æquitate s. vt Noont adpellat, ex bona fide orta, tam indirecta simul res vsuacienda est, unde non immerito rerum præscriptioni similis habetur. Porro non omnis actio doli hodie exclusa est. Producta enim hæc est a Romanis ad negotia bona fidei in casu, ybi nil cum fraudatore erat contractum, attamen is dolo læserat. Hæc de dolo actio hodie in foris quotidie personat. Nec a principiis Romanis recedimus, nisi quod contra hæredes, vt tales iudicium demus.

§. 17. Actio minorennum læforum etiam duplex est. Si dolus probari potest, aut saltim emor minoris rem esse, quam emit, sciverit, sine discrimine ad lassionem reparandam tenebitur. Idem est, si possessor quidem in dolo non sit, attamen locupletior sit rei possessione, nec villo alio modo minorenni prospici possit, quo casu ex æquitate nascitur adversus eum restitutio. Vtrumque probatur per l. 13. 14. b. Bonæ vero fidei possessori, i. e. ignorantí rem minoris esse pretium restituendum esse, quod dedit, mihi dubium non est ex præcedentibus. Dominium enim vere transiit, unde rei vindicatio cessat. Actio vero ex æquitate non potest esse innocentí possessori iniqua. Malus e contrario & improbus possessor, si pretium acceptum in rem minoris versum sit, redere, quod in rem versum, docent Prætici vid. STRYCK V. M. Tit. de reb. cred. Id peculiare, quod nec ex æquitate lucri apud alios extantis post quadriennium hic actio prodita sit. Ratio forsan inde petenda, quoniam iam integra minorenitas profuit læso iuvenia conservanda quævis iudicia, vt inde, si adhuc XXX anni adderentur, nimis gravarentur alii, quibus ab his conventionis periculum est.

§. 18. Rescissoria actio anomala est. Hæc enim licet æquitatis causa introducta, tamen in æquitate directo non nititur, sed in facta aliqua continuatione iuris, quod temporis præscriptione amissum, vt incontroversum est. Unde si res repetitur, realis quædam Prætoris actio subest, vindicationi non absimilis. Nil igitur hic cuiquam pretii restituatur, licet adversus omnes agatur, etiam, qui mala fide possidere desierunt. Inclusa est, quadriennio termino, numquam coarctanda, etiamsi unicus tantum dies præscriptioni defuerit, de quo egregie GvNDLING in Gundlingian. P. XXVI. p. 23 - 38.

§. 19. Nolo iam procedere ad restitutionem ob capitum diminutionem
B 3
datam,

daram, & eam, quæ in casu alienationis iudicij mutandi causa facta conceditur, de qua posteriore exstat elegantissima Diff. Viri Illustri Io. CHRIST. WILH. STECKII nuper Francofurti prodata. Instituti limites longiores ambages praecidunt. Cum filum rumpendum sit, id eo excusatius sit hoc loco, cum prior actio nullius, posterior rarioris in Germania vltus sit. Præcipua vero principiorum, quæ supra proposuimus, utilitas est, ut in iis casibus, ubi ex clausula Prætoris generali fit restitutio, cum in iis peculiaria prodata non sint, generalis ista omnium restitutionum iudeoles applicari, et hoc modo facile discerni queat, an locus sit actioni, nec ne? Denique subiucere placet verba CUIACII, qui omnes actiones restitutorias in compendium conieceruntur Comment. ad Tit. ff. de Restit. in integr. Oper. prior. Tom. I, ita ait: Huius Edicti sex sunt clausulae. Ex prima (sc. metus) datur propria actio, restituitur et pristina. Ex secunda (sc. dolii) est propria actio vel arbitrio iudicis restituitur pristina, si qua sit; sed propria illa, quæ datur, famosa est. Et in summa hæc sunt in hac restitutionum quæstione singularia, ut sit vna tantum restitutio famosa, vna perpetua (sc. ob capitis diminutionem) vna non actio, sed extraordinaria persecutio (sc. ex capite minorenitatis.) Et ex tercia clausula extra ordinem executio fit, cognitione prætoria. Ex parte quarta in debitorem capite minutum pristina actio restituitur, rescissa capitis diminutione, eaque actio perpetua est. Ex quinta quoque præsentibus contra absentes, et absentibus contra præsentes, in integrum restituitur, et ob id rescissoria dicitur. Porro ex ultima clausula est etiam iure actionis restitutio in integrum ob id, quod factum est, futuri iudicij evitandi caussa.

S. 20. Iam ad TE accedo CANDIDATE PRAENOBILISSIME, CUIUS in gratiam aliquid scribendum fuit more consueto. Meruit TUA diligentia et morum, quo inter nosstrates commendabilis fuisti, lepos, publicum aliquod meum testimonium hoc imprimis tempore, ubi solemne aliquod virium et prosecutum specimen in Academica palestra editurus es. Eiusmodi testimonia cum alias brevibus litteris comprehendi soleant, quæ præter suaves quasdam et urbanas formulas; de salutandis parentibus iussus; de temporis angustia, et laborum nimia oppressione, aut minus commoda valetudine, querelas; iniurias interdum Candidatorum; parum plerumque continent: malui hac vice, miscere vtile dulci, simusque aliquem ex iure locum indagandum suscipere. Appreco faustos et felices studiorum et conatum futuri temporis successus, T. V. A. Eque me amicitia commendatum ut habeas, rogo.

S. 21. Est adhuc de quo compellandi sunt ORNATISSIMI CURIUSVIS ORDINIS

DINIS FRIDERICIANÆ NOSTRÆ COMMILITONES. Maxime, quod omnes agnoscunt, vtilitatis est disputandi exercitium, vt ideo ex re cuiusque sit, in Academis, quam frequentissime istum pulverem agitare. Limatur ingenium, et ad Aggressorum subtilitates tamquam ad cotem aliquam acuitur. Praesens ex arena consilium capiendi habitus acquiritur. Ipsam scientiam certaminibus versatam fidelius servat memoria. Est hæc vmbra imago quedam vita forensis, ad quam præparantur plerique, vbi non exiguo Suadæ fulmine, contradicendi feroore, et animo, stomachoqve inter rixas temperato, opus est; quæ omnia parantur quodammodo, vbi ad litterarias quoqve disceptationes sèpius acceditur. Inde in omnibus Academis sedulo vacatur istis exercitationibus. Nos quoqve annis præteritis huic studio non desuimus, et iucunda adhuc recordinatione recolo horas, ante annum, et qvod excurrit, a numero qvodom bonæ spei lumen disputando qvavis septimana exactas. Sed nescio, qvonam pacis amore, abcesserit eo ex tempore pugnax hic animus civibus nostris. Deserta sunt imprimis a lurisprudentiæ Alumnis tam publica, qvam privata stadia, vt peregrinum qvid & rarissimum audicu sit, arenam a luris Cultore intrari. Qvæ ista fuga, OPTIMI COMMILITONES? An sangvis fundendus, aut vita in ambigvo ponitur, vbi inter nos certatur? Si hoc; nolim interesse, nam mihi præcipua cura, vt vita acutis salva sit. Veretvr quisqvam, ne aqua interdum initio hæreat, vnde aliorum ludibrium. Bone Deus, qvantis Viris non hæsit! Qvam hæret haud raro iis, qui alius verbulo lapsis effusissimo cachinno sapientiam produnt! Tandem, qvam caret ista res omni periculo, cum non de patria salute dimicetur, & aliquid quoqve operis relinqvendum sit ei, qui certamen moderatur, ne interim ignavia torpeat! Optant nonnulli, & impellunt, vt restaurentur disputandi exercitia. Praesto sum VESTRIS vobis, COMMILITONES. Accedite, nomen date; conveniet inter nos de more in ipso instituto obeundo. Sed vt, qui interesse volunt, in tempore desiderium indicent, rogo.



ULB Halle
002 169 525

3



Sb.



Farbkarte #13

B.I.G.
Black

3/Color
White

Magenta
Red

Yellow

Green

Cyan

Blue

Inches
Centimetres



ERNESTI CHRIST. WESTPHAL
I. V. ET PHILOSOPHIAE DOCTORIS
PROGRAMMA

QVO
CANDIDATO PRAENOBILISSIMO
DOMINO

ICOLAO IOSEPHO
GVNTHERO,

DISSERTATIONIS:

CONSORTIBVS & ADVTORIBVS
IMINVM EORVMQVE POENA ET NOXA
ECVNDVM LEGES GERM. CRIMINALES
GENERATIM
DEFENSORI

GRATVLATVR
SIMVLQVE
ESTVMATISSIMOS CVIVSVIS ORDINIS
FRIDERICIANAE COMMILTONES
AD EXERCITIVM DISPVATORIVM INVITAT

PRÆMISSA TRACTATIONE:

DVPLICI ACTIONE RESTITVTORIA
MNIBVS FERE IN INTEGRVM RESTITV-
TIONIBVS PRAETORII COMMVN.

HALAE MAGDEBVRGICAЕ M DCC LX.

1760
5a

47
48.